



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

LXVII. Markgraf Ludwig der Römer bestätigt der Stadt Frankfurt alle ihre Rechte, besonders die Niederlagsgerechtigkeit und die Straßenfahrt, am 8. Januar 1351.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

LXVII. Markgraf Ludwig der Römer bestätigt der Stadt Frankfurt alle ihre Rechte, besonders die Niederlagsgerechtigkeit und die Straßenfahrt, am 8. Januar 1351.

Nos Ludwicus Romanus, dei Gracia marchio Brandenburgensis et Lufacie, sacri Romani Imperii archicamerarius, Comes Palatinus Rheni et dux Bauarie, vniuersis et singulis pacem et gaudium presentis seculi et futuri diligentibus salutem et noticiam subscriptorum. Quia dilectissimi nostri fideles Consules et ciues nostre Ciuitatis Vrankenuord vicibus multis gratissima obsequia nobis prestiterunt et mandatis nostris pre ceteris Marchie nostre brandenburgensis incolis sincerius paruerunt, Condigne igitur erga ipsos Consules et ciues et Ciuitatem nostram Vrankenuord benigniter afficimur. Ipsam et ipsos prerogatiua speciali fulcientes de Consilio nostrorum fidelium subscriptorum deliberato animo ex certa sciencia, Omnes libertates, proprietates, gracias, possessiones, donaciones, vendiciones et approbatas consuetudines ac omnes et singulas litteras libertatum, proprietatum, possessionum, villarum, metarum et distincionum et contractuum et instrumenta et priuilia (sic!), cuiuscunque tenoris fuerint, ipsius Ciuitatis Vrankenuord a primo tempore fundacionis ipsius vsque ad presenciam tempora pro dicta Ciuitate Vrankenuord et ipsius incolis a serenis principibus et dominis predecessoribus nostris Marchionibus brandenburgensibus pie recordacionis et inclito principe et domino, dilectissimo germano nostro Ludwico, Marchione Brandenburgensi, donatas, concessas, indultas et optentas, donata, concessa, indulta et optenta, Et singulariter donacionem et approbacionem theollonei Vrankenuordensis ipsi Ciuitati Vrankenuord per Serenissimum dominum Imperatorem felicissime recordacionis, dominum Ludwicum, dilectissimum Patrem nostrum, factam atque priuilegium eiusdem domini nostri Imperatoris, quo ipsi Ciuitati cauetur, quod Ecclesia Parrochialis beate Marie ibidem nequaquam erigi debeat in kathedralem, in dei nomine approbauimus, ratificauimus, auctorizauimus et confirmauimus et presentibus litteris pro nobis et heredibus ac successoribus nostris a predictis dominis omnibus et singulis donata, indulta, concessa et indulta (sic!) perpetuo donamus, concedimus et indulgemus et ipsas et ea in omnibus suis clausulis, ac si de verbo ad verbum presentibus essent inserte et inserta, approbamus, ratificamus, auctorizamus et confirmamus, volentes et irreuocabiliter decernentes, quod huiusmodi littere, priuilegia et instrumenta libertatum, proprietatum, possessionum, villarum, metarum, distincionum et contractuum in quolibet foro et tractatu efficaciam tantam habeant et habere perpetuo debent, ac si appensione sigilli nostri presentibus appensi essent communitate et munita. Singulariter pro nobis, heredibus et successoribus nostris volentes et decernentes, quod in omnem euentum et casum depositio mercium apud dictam Ciuitatem Vrankenuord intransmutabiliter maneat et curruum vectura ipsorum mercatorum ex vtraque parte Odere ascendendo et descendendo per dictam Ciuitatem Vrankenuord transeat nec alibi aliquatenus transire debet nec transire permittatur, et vecturam alias transeuntem per singulos inpune mandamus et volumus impediri. In cuius testimonium presentes litteras Sigilli nostri appensi munimine iussimus communiri. Testes vero huius sunt strenui viri fridericus de Lochen, Marquardus dictus Luterbecke, Marscalcus noster, Hermannus de Wolkow, Johannes dictus Hager, magister Coquine nostre, Wolfhardus Lengenuelder, nostre Camere magister, milites, necnon dominus Jacobus, Prothonotarius et Capellanus noster, cum ceteris pluribus fidedignis. Datum in ciuitate sepedicta Vrankenuord, Anno domini Millesimo Tricentesimo Quinquagesimo primo, die Sabbati proxima post Epyphaniam domini.

Nach dem Orig. des Stadtarchives II, 1, 4, und VIII, 2, 26.